

Privilegium Casimiri Regis quo
 Consulibus Elbingensibus datur po-
 testas villas eis a se donatas, jure,
 quo ipsi velint, regendi. Datum in Ca-
 stro Marienboreg Feria quarta post
 Festum Visitationis B. V. M. Anno
 1476. Ex Archivo Regni Lib. 5. sub. Lit
 E. Fol. 240

34

In nomine Domini Amen.

Ad perpetuam rei memoriam

Casimirus Dei gratia Rex Poloniae et Magnus
 Dux Lituaniae &c. Cum ex hoc Tronus corrobor-
 tur Regius et crescit propagaturq; in subditis devo-
 tio, desideriaq; obsequiorum cum cum incremento fidei
 adaugentur, dum sollicitudo Regiae liberalitatis suae
 intendens beneficia, dona gratia diffundit in eisdem
 Proinde significamus tenore presentium, quibus expedit,
 universis. Quod licet alias ante concordiam super Ter-
 ris Prussiae inter Nos, Magistrumq; et Ordinem fa-
 ctam, donando in perpetuum ex liberalitate et muni-
 ficentia nostra Regali, Civitati nostrae Elbingensi,
 quam specialibus prosequimur favoribus, pro ejus
 utilitate, et commodo certas nostras villas in districtu
 Elbingensi situs et jacentes, Jus Lubicense eisdem
 villis, quo gaudere et judicare debebant, concessera-
 mus, constituti tamen in praesentia nostra, Praelato-
 rumq; et Consiliariorum nostrorum lateri nostro tunc
 assidentium, spectabiles et famosi Consules Civitatis
 Elbin

470

Edbingensis predicta Nobis humiliter supplicaverunt, quatenus ipsis admittere et indulgere dignemur, quod possent et valeant villas easdem taliter ipsis per Nos donatas, jure ipsis beneplacito, absque aliqua ipsius limitatione judicare. Nos autem in hoc petitionibus eorundem favorabiliter annuentes, ut eandem villarum predictarum melior fieret conditio, damus et concedimus ipsis et Civitati eorum, tanquam Dominis et heredibus villarum predictarum, eorum et deinceps villas predictas, quarum nomina in Privilegio donationis nostre hujusmodi sunt contenta et expressa ipsarumque habitatores et incolae sive municipali, sive Culmensi, sive Pruthenicali, sive quocumque alio jure, quod ipsi pro ipsorum discretione et arbitrio elegerunt et constituerunt, eodem regendi, judicandi et gubernandi omnimodam potestatem et facultatem, secundum quod ipsis melius, utilius et efficacius videbitur expedire, eo non obstante, quod in privilegio donationis villarum eorundem, cui per hanc concessionem nostram notum, si aliquo praejudicare aut derogare, quin semper firmum, illatum et illibatum permaneat, jus Lubraence expressum fuit et designatum. In cuius rei de. Datum in Castro nostro Marienburg Feria quarta post Festum Visitationis Gloriosissima Virginis Maria Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto.